INDEX LECTIONUM

IN

REGIO LYCEO HOSIANO BRUNSBERGENSI

PER HIEMEM

A DIE XV OCTOBRIS ANNI MDCCCLX

INSTITUENDARUM

PRAECEDIT

MICHAELIS JOS. KRÜGER THEOL. D. ET. PROF. P. O.

DE PONTIFICIBUS MAXIMIS JUDAEORUM

PER ULTIMOS PLUS DUCENTOS TEMPLI SECUNDI ANNOS

EXPIATIONIS DIE IN SANCTUM SANCTORUM NON INTRANTIBUS

COMMENTATIO ARCHAEOLOGICA

BRUNSBERGAE

TYPIS HEYNEANIS

REGII LYCEI HOSIANI H. T. RECTOR

L. FELDT

PHILOSOPHIAE DOCTOR MATHESEOS PHYSICESQUE PROFESSOR PUBLICUS ORDINARIUS

REGII LYCEI HOSIANI BRUNSBERGENSIS

RECTOR ET SENATUS

CIVIBUS SUIS

S

Quum Copernici nostri opus praeclarum de revolutionibus orbium coelestium inscriptum anno 1543 in lucem prodiisset, ejus temporis viri docti plurimi, astrologiae potius quam astronomiae dediti, theoremata in eo libro proposita aspernati sunt ut nova; in quibus et ipse Philippus Melanchthon initiorum doctrinae physicae anno 1549 typis excusorum libro primo sub finem: *Sumus autem secuti*, inquit, *in describendis illis* (scil. sole, luna, ceterisque quinque planetis) *Ptolemaei hypotheses, quae tot saeculorum testimonio comprobatae non temere convelli debent* (Melanth. Opp. ed. Bretschneider vol. XIII. pag. 292). At quae tunc erant nova, non ideo falsa, immo verissima ea esse die diem docente postea exploratum est. Jam si magnis licet componere parva, nihil dubitamus, quin aliqui has paginas legentes similiter nos alto supercilio despecturi sint, ut qui novarum rerum cupidi lapidem hucusque intactum movere ausi fuerimus. Quum tamen dudum nobis persuasum sit, quae falsa sint, nocere ea semper, quae vera, nunquam: quumque morbis eo magis necessarium sit adhibere medicinam, quo inveteratiores sint, non potuimus a nobis impetrare, ut a vulgandis iis, quae ex ipsis fontibus haurientes vera cognovimus, abstineremus. Itaque temeritatis incriminationi aliorum licet falsae non libenter nos exponentes, ea vero spe erecti, futurum esse, ut aliorum, rerum rationes perpendentium, assensum habeamus, hac data opportunitate disserimus de pontificibus maximis Judaeorum per ultimos plus ducentos templi secundi annos expiationis die in Sanctum Sanctorum non intrantibus.

Caput I.

Quae ad thesim nostram facientia suppeditet Flavius Josephus.

1. Flavius Josephus postquam narravit, die expiationis praeter sacrificia publica alia offerri duos hircos, quorum alter in desertum abducatur, alter in suburbanis Hierosolymorum concremetur una cum tauro pontificis maximi sumptibus parato, addit: tauro hoc suo mactato, pontifex maximus *εἰςκομίσας εἰς τὸν ναὸν τοῦ αἵματος ἅμα καὶ τοῦ ἐρίφου, ῥαίνει τῷ δακτύλῳ τὸν ὄροφον ἑπτάκις, τοῦ δ' αὐτοῦ καὶ τὸ ἔδαφος. καὶ τοσαυτάκις εἰς τὸν ναὸν καὶ περὶ τὸν χρύσεον βωμὸν κτλ.* (Antiqq. III. 10, 3). Verba ista praeconcepto judicio non occupatus quisque interpretabitur in hunc modum: Flavii Josephi tempore die expiationis pontifex maximus sanguinem tauri simul cum sanguine hirci intulit *εἰς τὸν ναὸν*, i. e. in aedem sacram, atque in eam quidem aedis sacrae partem, in qua aureum altare positum erat, sive

in Sanctum (conf. Luc. 1, 9), et septies adsperso tecto et pavimento Sancti, in ipsum Sanctum totidem sanguinis sparsiones dedit et circum aureum altare. Nam si adspersiones tecti et pavimenti in Sancto Sanctorum, adspersiones reliquae in Sancto factae essent, auctor id verbis expressisset; quae autem apud eum leguntur, ejusmodi interpretationem omnino non admittunt, immo vero pontificem maximum in Sancto stantem adspersiones eas omnes fecisse innuunt. Itaque in victimis diei expiationis propriis offerendis Flavii Josephi tempore consuetudo erat longe diversa ab iis, quae secundum legem Lev. 16, 1 seqq. antiquitus observabantur. Et primum quidem non ante, sed post mactatum populi hircum juvencus pontificis maximi tunc mactabatur, quum hoc demum mactato utriusque victimae sanguinem in aedem sacram illatum esse non solum Flavius Josephus narret, sed etiam testes ad unum omnes Hebr. 9, 12 hircorum ante juvencorum sanguinem ponant: cujus rei rationem infra indicabimus. Id vero potissimum notatu dignum est, quod tunc pontifex maximus a Sancti Sanctorum ingressu abstinens sanguinem victimarum earum in Sancto tantum sparsit: quam rem Flavius Josephus et aliis locis palam facit.

2. Sanctum Sanctorum tabernaculi arcam foederis in se habens, in quod pontifex maximus die expiationis intravit, *τοῖς ἱερεῦσιν ἄβατον* erat (Antiqq. III. 6, 4), at de Sancto Sanctorum templi secundi, quale Flavii Josephi tempore erat, hic scribit: *ἔκειτο δ' οὐδὲν ὅλως ἐν αὐτῷ, ἄβατον δὲ καὶ ἄχραντον καὶ ἀθέατον ἦν πᾶσιν* (Bell. V. 5, 5). Quod auctor vocem *πᾶσιν* adjecit, id integrum quemque interpretem monet, ut neminem, ne ipso quidem pontifice maximo excepto, tunc in Sanctum Sanctorum intrandi potestatem habuisse statuat, quum nec praeterea adjectum sit *πλὴν τοῦ ἀρχιερέως* (conf. 3 Macc. 1, 11), nec contextus aliam interpretationem suadeat. De iis enim, quae satis remota ab hoc loco Bell. V. 5, 7 leguntur, infra sermo erit.

3. Tertius quoque Flavii Josephi locus est ad roborandam thesim nostram aptissimus, cujus tamen textus graecus periit, et qui sensum non cuique obvium habens accuratiore expositione indiget. Est autem hic: *Sciunt igitur omnes, qui videre constructionem templi nostri, qualis fuerit, et intransgressibilem ejus purificationis integritatem. Quatuor enim porticus habuit in circuitu, et harum singulae secundum legem propriam habuere custodiam. In exteriorem itaque ingredi licentia fuit omnibus etiam alienis: mulieres tantummodo menstruatae transire prohibebantur. In secundam vero porticum cuncti Judaei ingrediebantur, eorumque conjuges, cum essent ab omni pollutione mundae. In tertiam masculi Judaeorum mundi existentes atque purificati. In quartam autem sacerdotes, stolis induti sacerdotalibus. In adytum vero soli principes sacerdotum, propria stola circumamicti* (c. Apion. II. 7). Tres jam suboriuntur quaestiones, scilicet quid sit adytum istud, qui principes sacerdotum, quae eorum propria stola.

a. Quando de spatiis aedis sacrae interioribus sermo est, *τὸ ἄδυτον* et *τὰ ἄδυτα* Sancti Sanctorum nomen est (Antiqq. III. 6, 5. 6; VIII. 3, 3; Philo de monarch. II. 5; de victim. 10); eodem tamen nomine ipsa aedes sacra vocatur spatiis templi exterioribus sive atriis opposita: nam secundum Philonem Moses oleo et sanguine sacerdotes eorumque vestes adspersit, *βουλόμενος αὐτοὺς μὴ μόνον τῆς ἔξω καὶ ἐν ὑπαίθρῳ μεταλαχεῖν ἁγνείας, ἀλλὰ καὶ τῆς ἐν ἀδύτοις, ἐπειδὴ καὶ ἔνδον λειτουργεῖν ἔμελλον· τὰ δὲ εἴσω πάντα ἐλαίῳ κατακέχριστο* (Vit. Moys. III. 18). Eundem in modum loco nostro, postquam de quattuor porticibus atria cingentibus sermo fuit, aedi sacrae plerumque *ναῷ* vocatae *τοῦ ἀδύτου* nomen tributum est.

b. Secundum ea, quae in indice lectionum praecedente proposuimus, post exilium soli sacerdotes Pinechasidae officiis sacerdotalibus fungebantur. Hi sunt, qui secundum locum hunc nostrum in quartam templi porticum, vel in atrium sacerdotum intrabant stolis induti sacerdotalibus, quippe quibus sacerdotes ministrantes utebantur (Bell. V. 5, 7). Super Pinechasidas reliquos evecti principes sacerdotum (οἱ ἀρχιερεῖς) non possunt esse nisi Sadoqidae. Hos solos remotis Pinechasidis reliquis per ultimos templi secundi annos in aede sacra ministrasse, Flavius Josephus ipso hoc loco nostro docet, testes assumens Judaeos omnes coaevos, qui videre constructionem templi. Nec deerat causa hujus rei. Quum enim Sadoqidae decimas inde a Joannis Hyrcani aetate Pinechasidis datas sub pontifice Ismael Phabi filio anno 61 p. Ch. n. sibi solis arrogare coepissent, ut id cum quadam juris justitiaeque specie facere viderentur, munera sacerdotalia in ipsa aede sacra obeunda, quibus antea Pinechasidae omnes functi erant (Luc. 1, 9), sibi reservarunt, illegitime imitantes exemplum certe legitimum atque a prophetis illius temporis approbatum ipsorum Pinechasidarum, qui secundum expositionem nostram in indice lectionum praecedente factam inde ab Israelitis in duo regna divisis usque ad exilium exclusis reliquis sacerdotibus in aede sacra soli ministrarant. Ceterum quod ultimis templi secundi annis non omnium Pinechasidarum erat in aede sacra pariter atque ad altare exterius ministrare, sed aedis sacrae intrandae praerogativam aliqui eorum habebant, id et Hegesippus testatur, qui fratri Domini Jacobo, Justo vocato et cum Apostolis administrationem ecclesiae suscipienti facultatem fuisse scribit εἰς τὰ ἅγια vel εἰς τὸν ναὸν ingrediendi (apud Euseb. h. e. II. 25). Quoniam enim mater Domini συγγενὶς erat Elisabeth, ad filias Aaron sive ad nobilissimam in Sadoqidis phylen pertinenti (Luc. 1, 5. 36), utique Christus consanguineos (ἀδελφοὺς) in Sadoqidis habuit, quorum unus Jacobus iste erat, anno 63 p. Ch. n. sub pontifice Anano Anani filio occisus (Antiqq. XX. 9, 1).

c. Sadoqidae per ultimos novem templi secundi annos in aede sacra soli ministrantes secundum locum nostrum stola propria circumamicti erant: cujus stolae pontificiae Sadoqidarum idem auctor alio praeterea loco mentionem facit. Nam quum vestium aurearum τοῦ ἀρχιερέως singula tantum exempla essent a sacerdotibus observantissime custodita neminique concessa praeter ipsum unum pontificem maximum sacra facere volentem (Antiqq. XVIII. 4, 3; XX. 1, 1. 2), cum tunicis et cingulis sacerdotum (i. e. Pinechasidarum,) aliisque multis ad actus sacros adhiberi solitis Tito tradita sunt τὰ ἐνδύματα τῶν ἀρχιερέων σὺν τοῖς λίθοις (Bell. VI. 8, 3). — Vestis sacra sacerdotum omnium ministrantium erat λίνεον ἔνδυμα διπλῆς σινδόνος βυσσίνης (Antiqq. III. 7, 2). Jam sicut pontifex maximus super communem hanc vestem sacerdotalem vestes aureas vocatas superinduit (Antiqq. III. 7, 4. 5; Bell. V. 5, 7) ita ultimis novem templi secundi annis Sadoqidae ephod byssinum in utroque humero lapidibus pretiosis ornatum superinduisse videntur (conf. 1 Sam. 2. 18; 22, 18; 2 Sam. 6, 14). Flavius Josephus enim describens templum secundum, quale proxime ante eversionem erat, non solum ad altare exterius, sed etiam in aedem sacram sacerdotes accessisse perhibet βύσσον ἀμπεχομένους (Bell. V. 5, 7). Praeterea cur frater Domini Jacobus in aedem sacram intrandi potestatem habuerit, Hegesippus apud Eusebium l. c. hanc causam affert: οὐδὲ γὰρ ἐρεοῦν ἐφόρει, ἀλλὰ σινδόνας, i. e. neque Israelita gregarius Jacobus iste erat, qui plerumque veste lanicia utebantur, nec sacerdos Pinechasida gregarius, quorum vestis sacra σινδὼν βυσσίνη erat, sed Sadoqida, super σινδόνα Pinechasidis omnibus communem indutus σινδόνα aliam, scilicet ephod byssinum.

Secundum hanc nostram utique veram loci c. Apion. II. 7 interpretationem proxime ante templi secundi excidium in atrium sacerdotum intrabant Pinechasidae stolis induti sacerdotalibus, in aedem sacram vero soli Sadoqidae τὸ ἔνδυμα τῶν ἀρχιερέων lapidibus pretiosis ornatum circumamicti. Si quis tamen adytum Sanctum Sanctorum et principes sacerdotum designare malit pontifices maximos, videat quomodo propriam stolam principum sacerdotum explicet: nam stola pontificis maximi propria vestes aureae sunt, non vestes linteae, quibus indutus antiquitus secundum legem semel per annum in Sanctum Sanctorum intrarat (Lev. 16, 4. 23. 24). Vix quisquam obloquendi studio nimis abreptus, non tam de pontificis maximi, quam de stola diei expiationis propria sermonem esse contendet; haec enim expressurus auctor debebat scribere: in adytum vero semel per annum die expiationis soli principes sacerdotum, stola (hujus diei) propria circumamicti.

Jam post enumerata quattuor atria aedemque sacram auctor et debebat non oblivisci, et oblivisci omnino non poterat Sancti Sanctorum, si tunc pontifex maximus die expiationis in id intravit. At ipsum ab eo de Sancto Sanctorum observatum altissimum silentium clamat, quod locis Antiqq. III. 10, 3 et Bell. V. 5, 5 supra explicatis perhibetur, scilicet Flavii Josephi aetate neque ipso die expiationis pontificem maximum in Sanctum Sanctorum introiisse.

4. Quod tribus locis de pontifice maximo in Sanctum Sanctorum omnino non intrante Flavius Josephus aut loquendo aut tacendo patefecit, id satis longe ante Pompeji aetatem fuisse infra probabimus. Quod autem de Pompejo in sanctuarium intrante duobus locis exhibet, id ad mentem auctoris nobis jam notam in hunc modum interpretamur. Secundum locum Antiqq. XIV. 4, 4 Pompeji tempore non mediocriter peccatum est περὶ τὸν ναὸν, ἄβατόν τε ὄντα ἐν τῷ πρὶν χρόνῳ καὶ ἀόρατον. Accessit enim εἰς τὸ ἐντὸς Pompejus cum non paucis comitantibus et vidit, ὅσα μὴ θέμιτον ἦν τοῖς ἄλλοις ἀνθρώποις ἢ μόνοις τοῖς ἀρχιερεῦσιν. Hominibus non Judaeis secundum locum c. Apion. II. 7 ultra atrium gentium progredi non licuit; Pompejus tamen εἰς τὸν ναὸν sive εἰς τὸ ἐντὸς, i. e. in ipsam aedem sacram intravit, quo tunc vel ex sacerdotibus genere soli Pinechasidae introibant, quos hoc loco ἀρχιερέας auctor vocat, quemadmodum ephemerias Pinechasidarum φυλὰς ἀρχιερατικὰς nominat (Bell. IV. 3, 8). Idem de eadem re Bell. I. 7, 6 sic scribit: Nihil in calamitatibus ejus temporis populum ita offendit, ut τὸ τέως ἀόρατον ἅγιον (i. e. aedes sacra) ἐκκαλυφθὲν ὑπὸ τῶν ἀλλοφύλων. Accedens enim cum comitibus suis Pompejus εἰς τὸν ναὸν, ἔνθα μόνῳ θέμιτον ἦν παριέναι τῷ ἀρχιερεῖ (i. e. nemini praeter Pinechasidam Pompeji tempore in aede sacra pariter atque ad altare exterius ministrantem), τὰ ἔνδον ἐθεάσατο. Quod ad usum numeri singularis collectivum attinet, conferendus est locus Bell. V. 5, 7, secundum quem vestem sacram sacerdotalem ὁ λειτουργῶν ἠμφιέννυτο μόνος. Sicut postea Titus (Bell. VI. 4, 7), ita et Pompejus, cujus τὴν εὐσέβειαν auctor laudans commemorat (Antiqq. XIV. 4, 4), ultra Sanctum templi non progressus est.

5. Unum praeterea novimus Flavii Josephi locum huc trahendum, at tam aperte corruptum sensuque omnino carentem, ut neque ad comprobanda, neque ad convellenda ea aptus sit, quae supra proposuimus. In quo latine vertendo quum editio Genevensis anni 1634 censuerit contineri, pontificem maximum solo die expiationis vestes aureas induisse, iisque indutum in adytum, i. e. in Sanctum Sanctorum intrasse (id quod non solum legi, sed etiam Flavio Josepho contrarium est), versio latina in Havercampi editione obvia utrum eundem an alium sensum ei loco tribuat, non liquet. Est autem locus hic:

Bell. V. 5, 7 sub fin.

Textus vulgatus corruptus.	Textus a nobis emendatus.
Ταύτην μὲν οὖν τὴν ἐσθῆτα οὐκ ἐφόρει τὸν ἄλλον χρόνον, λιτοτέραν δ' ἀνελάμβανεν, ὁπότε δὲ εἰςίοι εἰς τὸ ἄδυτον, εἰςήει δ' ἅπαξ κατ' ἐνιαυτὸν μόνος, ἐν ᾗ νηστεύειν ἔθος ἡμέρᾳ πάντας τῷ θεῷ.	Τ. μ. ο. τ. ἐ. (i. e. vestes aureas) ἐφόρει τὸν ἄλλον χρόνον, ὁπότε εἰςίοι εἰς τὸ ἄδυτον (i. e. in aedem sacram), λιτοτέραν δ' ἀναλαμβάνων (i. e. vestes linteas, Lev. 16, 4) εἰςήει ἅπαξ κτλ.

Ritus sacros Flavii Josephi tempore observatos a ritibus in lege perscriptis non discrepasse, et voce τοῦ ἀδύτου nihil praeter Sanctum Sanctorum designari existimans aliquis auctoris textum sic mutavit: „Hanc auream stolam deferebat alio tempore; ὁπότε δὲ in Sanctum Sanctorum intravit, λιτοτέραν ἀνελάμβανεν. εἰςήει δ' ἅπαξ κτλ. — Alius omissis verbis genuinis τὸν ἄλλον χρόνον et intrusa voce οὐκ sic scripsit: „Stolam auream οὐκ ἐφόρει, λιτοτέραν δ' ἀνελάμβανεν, ὁπότε in Sanctum Sanctorum intravit; εἰςήει δ' ἅπαξ κτλ." — E textibus per utramque hanc mutationem ortis tertius satis insulsus insulsum plane textum vulgatum conflavit, in quo cum verbis genuinis τὸν ἄλλον χρόνον non solum οὐκ locum habet, sed et δ' ἀνελάμβανεν, ὁπότε δὲ, εἰςήει δέ. At per Hellenistarum loquendi usum ex Philone atque ex ipso Flavio Josepho supra indicatum τὸ ἄδυτον non ita Sancti Sanctorum nomen est, ut omnino aedem sacram denotare non possit, immo vero e cujuscunque loci contextu metiendum est, utrum Sanctum Sanctorum an aedem sacram id significet. Porro sicut Hegesippus apud Euseb. l. c. et Flavius Josephus Bell. I. 7, 6 aedem sacram modo τὰ ἅγια vel τὸ ἅγιον, modo τὸν ναὸν vocarunt, ita hunc aedi sacrae modo τοῦ ναοῦ, modo τοῦ ἀδύτου nomen hoc loco tribuisse contendimus, praesertim quum loci hujus ad mentem auctoris alibi patefactam emendandi contextus nullam praeter aedis sacrae significationem isti voci concedat. Postquam enim auctor narravit, cum sacerdotibus ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον καὶ τὸν ναὸν interdum ascendisse pontificem maximum indutum vestibus aureis, his ad longum et latum descriptis etiam lintearum vestium pontificis maximi mentionem facere volens addidit: His igitur vestibus aureis pontifex maximus usus est, quando aliis per annum diebus εἰς τὸ ἄδυτον, paulo ante ναὸν nominatum, (cum sacerdotibus ibi ministrantibus) intrare ipsi libuit; minus autem magnificis linteis assumptis solus intravit die expiationis.

Itaque tres loci initio hujus capitis explicati praeterquam quod auctoris sententiam de pontificibus maximis sui temporis expiationis die in Sanctum Sanctorum non intrantibus manifestant, etiam viam monstrant, qua duo loci de Pompejo εἰς τὸν ναὸν intrante loquentes interpretandi sint, nec non quomodo uni loco corrupto mederi debeamus ostendunt.

Caput II.

Quae et qualis Philonis Judaei opinio sit de pontificum maximorum sui temporis officio die expiationis exsequendo.

1. Philo, quum Cajus imperator εἰσωτάτω τῶν ἀδύτων statuam ad ipsius ut novi Jovis Illustris effigiem efformatam collocari jussisset (Leg. ad Caj. 29. 43), ad id avertendum ab Agrippa I rege ad eum epistolam datam esse narrat, in qua satis longa stiloque oratorio exarata (l. c. 36—41) haec leguntur: Τὴν δὲ μέλλουσάν (scil. ἀνάθεσιν ἀνδριάντος) φασιν ἐσωτάτω τοῦ ἱεροῦ κατ' αὐτὰ ἄδυτα γίνεσθαι, εἰς ἃ ἅπαξ τοῦ ἐνιαυτοῦ ὁ μέγας ἱερεὺς εἰςέρχεται τῇ νηστείᾳ λεγομένῃ μόνον ἐπιθυμιάσων καὶ κατὰ τὰ πάτρια εὐξόμενος φορὰν ἀγαθῶν εὐετηρίαν τε

καὶ εἰρήνην ἅπασιν ἀνθρώποις. Καὶ ἂν ἄρα τὶς που οὐ λέγω τῶν ἄλλων Ἰουδαίων, ἀλλὰ καὶ τῶν ἱερέων, οὐχὶ τῶν ὑστάτων, ἀλλὰ τῶν τὴν εὐθὺς μετὰ τὸν πρῶτον τάξιν εἰληχότων, ἢ καθ᾽ αὐτὸν ἢ καὶ μετ᾽ ἐκείνου συνειςέλθῃ, μᾶλλον δὲ καὶ ἂν αὐτὸς ὁ ἀρχιερεὺς δυσὶν ἡμέραις τοῦ ἔτους, ἢ καὶ τῇ αὐτῇ τρὶς ἢ καὶ τετράκις εἰςφοιτήσῃ, θάνατον ἀπαραίτητον ὑπομένει. Τοσαύτη τίς ἐστιν ἡ περὶ τὰ ἄδυτα φυλακὴ τοῦ νομοθέτου, μόνα ἐκ πάντων ἄβατα καὶ ἄψαυστα βουληθέντος αὐτὰ διατηρεῖσθαι (l. c. 39).

2. Bene notandum est, opiniones quasdam Philonis solius proprias satisque miras in hac Agrippae epistola reperiri. Philo enim (de monarch. II. 5) pontificem maximum vestibus linteis uti perhibet, ἡνίκα ἂν εἰς τὰ ἄδυτα ἐπιθυμιάσων εἰςίῃ, quasi incensi in Sanctum Sanctorum illatio (Lev. 16, 12. 13) unicum aut saltem praecipuum pontificis maximi die expiationis explendum officium unquam fuerit: at similiter in epistola pontifex maximus die expiationis non etiam sparsurus sanguinem, sed tantum ἐπιθυμιάσων in Sanctum Sanctorum intrare dicitur. Item verissimum quidem est, quod secundum Philonem pontifex maximus non pro singulis, sed ὑπὲρ τοῦ κόσμου preces et sacrificia persolvit (de monarch. II. 12 conf. 6), satis ineptum autem, quod diei expiationis jejunium non solum ob poenitentiam eo die agendam institutum esse docet, sed et quo Israelitae non a fructibus omnibus tum collectis sese sperare vitam et sanitatem publice profiterentur, sed a deo salvatore, etiam sine cibis istis ipsos sustentare valente (de septenario 23): at in epistola ad verum inepto admixto legitur, pontificem maximum die expiationis in Sanctum Sanctorum intrare precaturum (non peccatorum remissionem, sed) φορὰν ἀγαθῶν εὐετηρίαν τε καὶ εἰρήνην ἅπασιν ἀνθρώποις. — Unde sequitur, quam Philo libro suo quasi Agrippae regis epistolam inseruit, hanc non esse Agrippae auctoris, sed Philonis stilum oratorium potius quam epistolarem exercentis Agrippamque talia scribentem facientis. Accedit, quod Flavius Josephus Agrippam non per epistolam, sed viva voce inter convivandum a Cajo imperatore petiisse scribit, ut mandatum de collocanda in templo statua datum rescinderet (Antiqq. XVIII. 8, 7).

3. Mishna ex sincera interpretatione textus sacri Lev. 16, 1 seqq. pontificem maximum die expiationis quater in Sanctum Sanctorum intrasse docet, primo ut thuribulum inferret incensumque poneret, deinde ut sanguinem juvenci spargeret, tum ut spargeret hirci sanguinem, denique ut inde repeteret thuribulum (Joma 5, 1. 3. 4; 7, 4): Philo autem pontifici maximo ter quaterve eo die in Sanctum Sanctorum ingredi praesumenti mortem a deo imminere perhibet. Bis igitur secundum Philonem pontifex maximus die expiationis in Sanctum Sanctorum intravit, primo inferens, tum reportaturus thuribulum; sanguini vero victimarum in Sancto Sanctorum spargendo Philo locum non concedit. At unde venit Philoni ista sapientia?

4. Philo, qui semel tantum ad templum Hierosolymitanum εὐξόμενός τε καὶ θύσων iter fecisse videtur (de provid. II. 107, graece apud Euseb. praep. ev. VIII. 13), sacrificiorum ritus non ex usu, sed ex lectione versionis LXX noverat. Jam τοὺς ἐξιλασμοὺς in lege expiationis diei assignatos ea versio praecipit, ut faciat ὁ ἱερεὺς ὃν ἂν χρίσωσιν αὐτὸν καὶ ὃν ἂν τελειώσωσι τὰς χεῖρας αὐτοῦ ἱερατεύειν μετὰ τὸν πατέρα αὐτοῦ (Lev. 16, 32), qui alio loco vocatur ὁ ἐπικεχυμένος τὴν κεφαλὴν τοῦ ἐλαίου τοῦ χριστοῦ καὶ τετελειωμένος ἐνδύσασθαι τὰ ἱμάτια (Lev. 21, 10). Secundum locos istos Philo, unctum tantum pontificem ὡς ἀξιόχρεως ἐνδύσασθαι τὰ ἱμάτια νομισθῆναι perhibens (de profug. 20), quum pontifices maximos sibi coaevos nec patrum pontificum maximorum legitimorum legitimos successores, neque oleo sacro delibutos, sed vestibus tantum pontificiis praeditos esse sciret

(1 Macc. 10, 21; Antiqq. XIII. 2, 3; Bell. IV. 3, 10; 5, 2), hos omnes, non πρὸς ἀλήθειαν, sed ψευδωνύμους pontifices maximos (de victim. 10), ad Sanctum Sanctorum die expiationis sanguinis sparsionibus expiandum judicavit esse non idoneos. Atque in hac quidem re sic judicans non errabat, nam Flavius Josephus historicam rei veritatem describens pontifices maximos tunc die expiationis ultra Sanctum templi non progressos esse palam facit; in eo tamen egregie Philo fallebatur, quod, quum expiationes aliae per sanguinis sparsionem fierent (Hebr. 9, 22), etiam Sancti Sanctorum expiationem solis sanguinis sparsionibus secundum legem olim perfectam esse, et incensi in Sanctum Sanctorum illationem non actum praeambulum praeparatoriumque ejus ipsius expiaitonis, sed actum in se ipso absolutum fuisse, jam vero pontificem maximum non unctum a sanguine victimarum in Sancto Sanctorum spargendo quidem lege Lev. 16, 32 arceri putavit, ab inferendo incenso non item. Quae absona lucubratio interpretatoria hominis Alexandrini nihil prorsus valet ad minuendam fidem Flavii Josephi Hierosolymitani.

5. Primus post exilium pontifex maximus Josua Philoni certo non erat ψευδώνυμος, quum apud prophetas, dei interpretes, et nihil de suo loquentes (de monarch. I. 9; de spec. legib. 8; de praem. et poen. 9), ipse deus pontificis maximi nomen ei tribuat (Hagg. 2, 2; Zach. 6, 11). De posteris ejus legitime succedentibus usque ad Oniam III idem dicendum est; nam sub Simone II, Oniae III patre, legis praeceptum de pontifice maximo die expiationis in Sanctum Sanctorum intrante etiamtum observatum esse traditur (3 Macc. 1, 11). Jason autem et Menelaus, Josuae posteri quidem, at contra legem in antecessorum non mortuorum locum intrusi (conf. Antiqq. XV. 3, 1), et Alcimus ad aliam domum phyles ejusdem pertinens itemque illegitime constitutus, quum disputari possit, utrum hi tres unctionem acceperint, nec ne, id extra controversiam est, inde ab anno 153 a. Ch. n., quo Jonathan τὴν ἁγίαν vel τὴν ἀρχιερατικὴν στολὴν induit (1 Macc. 10, 21; Antiqq. XIII. 2, 3), ad filios Aaron sensu strictissimo dictos eosque solos in summum pontificatum succedendi jus habentes ne semel quidem hunc honorem rediisse (Antiqq. XX. 10, 1), omnesque inde ab eo anno constitutos pontifices maximos fuisse vestibus tantum pontificiis praeditos, non unctos (conf. Bell. IV. 3, 10; 5, 2). Fabula quidem est, secundum quam oleum sacrum a tempore Josiae regis absconditum erat (Relandi Antiqq. sacr. vet. Hebr. part II cap. 1 §. 4 seqq.), qua tamen in solius Talmudis Babylonici auctoritate innixa minime convellitur id, quod secundum fontes vel antiquissimos modo statuimus. Quoniam autem in ejusmodi fabulis granum veritatis inesse solet, peropportuna ista fabula adest, quando quaeritur, a quonam pontifice maximo descendentes Sadoqidas in phylen filiorum Aaron sensu strictissimo vocatorum Ezra congregarit. Nam quum ii vocarentur τὸ τῶν χριστῶν ἱερέων γένος, i. e. genus id, e quo pontifices maximi legitimi iique uncti esse debent (2 Macc. 1, 10), satis longe post templi excidium hoc nomine designari putasse quidam videntur genus id, quod a pontificibus unctis descendit; quumque ad filios Aaron sensu strictissimo dictos pertinere novissent omnes posteros Chilqia pontificis, qui Josiae regis tempore erat (2 Reg. 22, 4), Chilqia pontificum unctorum ultimum fuisse, et Josiae regis tempore oleum sacrum absconditum esse perperam judicarunt.

Itaque collatis iis, quae ex Flavio Josepho historiarum scriptore et ex Philone scripturae sacrae interprete proposuimus, non dubium est, quin pontifices Asamonaei horumque successores omnes die expiationis sanguinem victimarum in Sancto Sanctorum non sparserint. Opinabatur quidem Philo, eos nihilominus in Sanctum Sanctorum intrare

ἐπιθυμιάσοντας, at secundum Flavium Josephum, ritus sacrificiorum expertum, Sanctum Sanctorum tunc erat ἄβατον καὶ ἄχραντον καὶ ἀθέατον πᾶσιν.

Caput III.

Num locus Hebr. 9, 6. 7 thesi nostrae repugnet.

Quae in libris antiquis aut facta narrantur, aut facienda praecipiuntur, ea secundum libros istos fieri dicuntur. Quapropter si in epistola ad Hebraeos data secundum locos Lev. 4, 11. 12. 21 et 16, 27 docetur, quarum victimarum piacularium sanguis in aedem sacram inferatur, earum corpora cremari extra castra (Hebr. 13, 11), inde non sequitur, ut, quo tempore ea epistola data sit, Israelitae per desertum iter facientes in castris habitarint. Eundem in modum si idem auctor Hebr. 9, 6. 7 scribit, sacerdotes quotidie introire in Sanctum tabernaculi, at in Sanctum Sanctorum tabernaculi solum pontificem maximum solo die expiationis, verbis hisce minime voluit innuere, idem licere pontificibus sui temporis non unctis, cujus faciendi potestatem pontifices uncti stante tabernaculo habuerint; sed quae in lege de Sancti et Sancti Sanctorum introitu habentur, ea ideo commemoravit, ut inde conclusionem dogmaticam faceret. Similiter Philo pontificibus maximis sui temporis incensum tantum in Sanctum Sanctorum die expiationis inferre licitum esse opinatus, nihilominus ad verba legis Lev. 16, 1 seqq. respiciens eaque more suo allegorice interpretans pontifici maximo die expiationis in Sanctum Sanctorum intrandum esse docet, σπεῖσαι τὸ ψυχικὸν αἷμα καὶ θυμιᾶσαι ὅλον τὸν νοῦν τῷ σωτῆρι καὶ εὐεργέτῃ θεῷ (Legis Allegor. II. 15).

Caput IV.

Quid censendum sit de ritibus, quos tractatus mishnicus Joma expiationis diei assignat.

1. Apud Epiphanium haer. 33, 9 legitur: Αἱ γὰρ παραδόσεις τῶν πρεσβυτέρων Δευτερώσεις παρὰ τοῖς Ἰουδαίοις λέγονται. Εἰσὶ δὲ αὗται τέσσαρες· μία μέν, ἡ εἰς ὄνομα Μωϋσέως φερομένη (i. e. non liber Deuteronomii, quae pars scripturae sacrae certo non accensebatur traditionibus seniorum, sed collectio quaedam praeceptorum ex sententia vulgari ab ipso Mose licet non per scripturam profectorum), δευτέρα δὲ ἡ τοῦ καλουμένου Ῥαββιακιβὰ (i. e. Rabbi Aqiba sub Hadriano imperatore mortui), τρίτη Ἀδδὰ ἤτοι Ἰούδα (i. e. Rabbi Juda Sancti vocati, qui post annum 200 p. Ch. n. Mishnam nostram congessit), τετάρτη τῶν υἱῶν Ἀσαμωναίου. Quae tempore secunda est ἡ δευτέρωσις τῶν υἱῶν Ἀσαμωναίου, quod quarto loco ponitur, quum id vix scriptoris negligentiae tribui possit, ejus rei fuisse videtur haec causa, quod apud Judaeos Epiphanio coaevos, secundum Mishnae nostrae praecepta viventes, libri traditiones ab Asamonaeis promulgatas continentis auctoritas valde exigua erat. Unde si qua praecepta traditionalia stante templo secundo observata occurrunt, quae in Mishna aut reprobantur aut omnino non commemorantur, in traditionibus Asamonaeorum stante templo vigorem habentibus, postea vero contemtis, ea recensemus.

2. In epistola catholica Barnabae capp. 7 et 8 praecepta traditionalia die expiationis observata haec leguntur:

a. Quum *γεγραμμένη ἐντολὴ* sive mandatum in scriptura sacra Lev. 23, 29 obvium sit, quo omnes ad jejunium die expiationis observandum teneantur, tamen *ἐν τῷ προφήτῃ* de hirco secundum Num. 29, 11 die expiationis offerendo praecipi: *Καὶ φαγέτωσαν οἱ ἱερεῖς μόνοι πάντες τὸ ἔντερον ἄπλυτον μετὰ ὄξους.* Quum *ὁ προφήτης* iste ad scripturae sacrae corpus non pertinens commemoretur praeter scripturam sacram, librum traditiones olim vigorem habentes continentem innui apparet. Quod autem post prophetarum canonicorum aetatem sub pontificibus regibusque Asamonaeis ejusmodi librum editum esse ex Epiphanio certum est, ac scriptor editorve libri a Barnaba commemorati propheta vocatur, ex iis concludimus, si non auctorem, certe promulgatorem ejus libri non fuisse nisi Joannem Hyrcanum, qui non solum pontificia et regia, sed etiam prophetica auctoritate vel apud ipsum Flavium Josephum ex Asamonaeorum prosapia unus pollebat (Antiqq. XIII. 10, 3; 12, 1). Jam Mishna, hominibus politioribus talia indigne praecipi existimans, sacerdotes Bablijim, i. e. (non Babylonios, sed) barbaros *) vel incultos, quibus ea res nauseam non moverit, carnem hujus hirci crudam comedisse perhibet (Menachoth 11, 7), et ne quis sacerdotes e Babylonia ad diem expiationis Hierosolymis agendum profectos ita feros fuisse existimet, glossa sacerdotibus Alexandrinis id ipsum imputat.

b. Hirci duo, super quos sors mittebatur, liber a Barnaba laudatus praecepit, ut essent *ὅμοιοι* vel *ὅμοιοι καὶ ἶσοι*, et Mishna eadem habet (Joma 6, 1).

c. De hirco in desertum abigendo mandatum erat: *Καὶ ἐμπτύσατε πάντες, καὶ κατακεντήσατε, καὶ περιθεῖτε τὸ ἔριον τὸ κόκκινον περὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ· καὶ οὕτως εἰς ἔρημον βληθήτω.* Iterum ab hominibus Bablijim, i. e. barbaris vel feris hircum hunc male tractatum fuisse Mishna narrat, de suo adjiciens, semitam a solo elevatam (Kebesh) factam esse, quo hircus ille ab hominum horum injuriis liberaretur (Joma 6, 4), et glossa iterum purgans Babylonios ejus facinoris accusat Alexandrinos.

d. Lana coccinea, a capite hirci in desertum acti ablata, frutici spinoso baccas dulces ferenti imponenda erat. Mishna, quum ad petram quidquam alligari non possit, in petra (ba-Sela), de qua hircus iste praecipitandus erat, ejus lanae partem alligatam esse narrat (Joma 6, 6), scilicet ad fruticem spinosum ibi crescentem, cujus meminit Barnabas.

e. Praeceptum erat, *προςφέρειν δάμαλιν τοὺς ἄνδρας, ἐν οἷς ἁμαρτίαι τέλειαι* (i. e. qui „be-Jad rama“ peccaverunt, Num. 15, 30), *καὶ σφάξαντας κατακαίειν· καὶ αἴρειν τότε τὴν σποδὸν παίδια* (et *τρία* quidem), *καὶ βάλλειν εἰς ἄγγη, καὶ περιτιθέναι τὸ ἔριον τὸ κόκκινον καὶ τὸν ὕσσωπον* (scil. ligno vel baculo)· *καὶ οὕτω ῥαντίζειν τὰ παίδια καθ᾽ ἕνα τὸν λαὸν, ἵνα ἁγνίζωνται ἀπὸ τῶν ἁμαρτιῶν.* Non agitur de vacca rufa secundum legem scriptam Num. 19, 1 seqq. pro purificandis per mortuum pollutis comburenda, sed commemoratur *ἡ τῆς δαμάλεως* (sic enim legendum est, non *σεμιδάλεως*) *προςφορὰ, ἡ ὑπὲρ τῶν καθαριζομένων ἀπὸ τῆς λέπρας προςφέρεσθαι παραδοθεῖσα* (Justini dial. c. Tryph. 41), i. e. vacca pro purgandis a lepra (non corporis, sed mentis, quae per peccata voluntaria contrahitur,) secundum traditionem offerenda, quae ubique comburi poterat, quum Justinus l. c. 40. 41, sicut duo hirci die expiationis nullibi nisi Hierosolymis offerendi figurae Christi fuerint Hierosolymis passuri ibique aliquando cum gloria apparituri, ita vaccam hanc

*) Babel, ortum ex Balbel, idem est ac stirps graeca latinaque barbar, sicut shalshela et sharshera, lilium et *λείριον*, flagellum et *φραγέλλιον* eadem sunt. Unde babli non solius Babylonii nomen est, sed et barbarum in Mishna designat.

sacrificii Christianorum figuram fuisse doceat, etiam secundum vaticinium Malach. 1, 10—12 ἐν παντὶ τόπῳ faciendi. *) Nam stante templo secundo praeter sanguinem hirci et juvenci quotannis die expiationis in aedem sacram illatum requirebatur cineris δαμάλεως adspersio, ut Israelitae singuli per terrarum orbem dispersi eo die sanctificarentur πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα, sive liberarentur non a peccatorum imprudenter commissorum maculis tantum, sed etiam ab ipsa lepra peccatorum voluntariorum (Hebr. 9, 13), scilicet a maculis et lepra peccatorum eorum, quorum memoria singulis exciderat, ideoque privato sacrificio piaculari oblato non expiatorum, τῶν ἀγνοημάτων (Hebr. 9, 7). Certe carnis palpabilis puritas victimarum istarum oblatione et cineris vaccae adspersione non efficiebatur; sed sicut homo, qui oculis conspicitur, ex corpore et mente constat, ita et ὁ ἔσω ἄνθρωπος, ἡ καρδία, ἡ διάνοια ex altera parte oculos, lumbos, ideoque corpus quoddam vel carnem quandam habere a similitudine dicebatur (Eph. 1, 18; 1 Petr. 1, 13), quod corpus vel quae caro per peccatum imprudenter commissum macula leviore, per voluntarium peccatum lepra inficeretur, et cujus puritas quum per annum sacrificiis piacularibus aliis, non per se, sed per deum sic volentem efficacibus (Hebr. 10, 4; conf. 9, 22 et Marc. 2, 7), tum die expiationis sacrificiis ejus diei propriis cinerisque vaccae adspersione redintegraretur — ex altera autem parte συνείδησιν, eamque peccato originali infectam ideoque συνείδησιν ἁμαρτιῶν vel συνείδησιν πονηρὰν vocatam (Hebr. 9, 9. 14; 10, 2. 22), ad quam sanandam lex quidem remedium nullum haberet (Hebr. 10. 1—3; Act. 13, 38), quum apud Christianos ὁ ἔσω ἄνθρωπος sive ἡ καρδία liberaretur et ἀπὸ συνειδήσεως πονηρᾶς, et a sordibus τοῦ σώματος, i. e. et a peccati originalis, et a peccatorum commissorum culpa (Hebr. 10, 22). — Hanc traditionem Mishna omnino non commemorat, docens templo diruto ipsum diem expiationis vere poenitentium culpas delere (Joma 8, 8. 9).

3. Flavius Josephus, quum post juvencum pontificis mactatum hujus juvenci sanguinem una cum sanguine hirci a populo oblati in Sanctum illatum esse perhibeat, primo hircum

*) Secundum ea, quae vir doctissimus Dr. Nolte gratiose nobiscum rogantibus communicavit, codex Parisinus 450 exhibet fol. 90 verso καὶ ἡ τῆς σεμιδάλεως δὲ προςφορὰ, et codex Claromontanus nunc in Anglia asservatus, quem idem vir doctissimus e codice Parisino transscriptum esse suspicatur, eadem habere videtur, quum editorum nemo lectionis varietatem annotarit. Perionius in observationibus versioni suae adjectis huic vulgatae lectioni patrocinari intendit, dum, nescimus unde, in textu versionis suae non de simila, sed de vacca immolari jussa sermo est. At lectioni vulgatae quam parum contextus loci faveat, id neminem fugit. Nam aperte de oblatione non Hierosolymis tantum, sed ubique facienda Justinus loquitur, simila autem Lev. 14, 10. 21 obvia, ab iis qui leprosi fuerant nullibi nisi in templo simul cum victimis aut victima offerebatur (conf. Lev. 15, 1 seqq.). Quoniam autem lex ab iis qui leprosi fuerint cum victimis aut victima et similam offerri jubet, atque apud Justinum item de purificandis leprosis agitur, hujus loci contextum non perpendentes σεμιδάλεως ponendum esse judicabant, pro genuino δαμάλεως,· quod ex auctoritate locorum Barnab. 8 et Hebr. 9, 13 textui restituendum est. Lepram enim metaphorice peccatorum „be-Jad rama" commissorum culpam Justinus hoc loco vocat. Et recte quidem. Nam quum homines non Judaei legem dei ignorantes et pueri Judaeorum annos discretionis nondum habentes per lepram corporis immundi non fierent (Negaim 3, 1), adultus homo Judaeus leprosus figura erat hominis ejus, qui legem dei sciens et prudens transgressus est. Jam sicut propter lepram corporis corporalis separatio hominis Judaei adulti fiebat, ita post peccata voluntarie commissa propter lepram mentis per ipsum deum peccator a societate populi sancti spiritualiter separabatur sive excommunicabatur (Num. 15, 30. 31; Lev. 20. 3. 5); et sicut is, qui propter lepram corporis extra castra fuerat, per priorem reconciliationem id assequebatur, ut instar peregrini in castris commorari posset, per posteriorem autem, ut denuo populi sancti civis factus in tentorio suo habitaret (Lev. 14, 8. 20), ita secundum Philonem (de victim. 11) qui ἑκουσίως peccavit, primo per veram poenitentiam et integram peccatorum confessionem ἀμνηστίαν sive remissionem poenae excommunicationis a deo inflictae accepit, tum vero per sacrificium pro delicto cum animi contritione oblatum ἄφεσιν sive remissionem culpae, quae alio nomine et κάθαρσις vocatur sive pristinae puritatis vel sanctitatis restitutio.

populi, tum pontificis juvencum sua aetate mactatum esse acclamante loco Hebr. 9, 12 innuit. Sub pontificibus Asamonaeis cur id observari coeptum sit, facile perspicitur. Lex enim primum de pontificis uncti, tum de totius populi peccatis expiandis loquitur (Lev. 4, 3. 13; 16, 11. 14. 15) quoniam pontifex unctus, *τοῦ θεοῦ τὴν ἀρχιερωσύνην* habens (Antiqq. XX. 10, 1), hac ipsa re populo toto superior erat; pontifices vero Asamonaei, *τὴν ἀρχιερωσύνην τοῦ ἔθνους*, i. e. pontificatum a dante populo acceptum habentes (1 Macc. 14, 30. 35. 41; Antiqq. XIII. 5, 8; conf. Vit. 1), ea ipsa re inferiores populo erant: unde primum totius populi, tum non uncti pontificis Asamonaei victima piacularis immolanda erat. Praeceptum hocce ad *τὴν δευτέρωσιν* Asamonaeorum pertinens sub successoribus quoque Asamonaeorum, non solum contra legem patriam, sed ne cum populi quidem suffragio constitutis observabatur. — Mishna Horaioth 3, 4 inter pontificem unctum et pontificem vestibus praeditum nihil interesse docet, nisi quod ad juvencum Lev. 4, 3 obvium attineat (conf. Megilla 1, 9 et Maccoth 2, 6). Cujus loci sensus e contextu spectatus is est, ut pontifex unctus suis sumptibus pararit juvencum die expiationis pro suis domusque suae peccatis offerendum (Lev. 16, 3. 6), juvencum pro peccato suo in populum redundante offerendum alio tempore (Lev. 4, 3), et crustulas quotidie offerendas (Lev. 6, 12 seqq.): at pontifici vestibus tantum praedito item suis sumptibus parandus fuerit solus juvencus ille die expiationis offerendus et crustulae quotidianae. Nam secundum legem Lev. 4, 3 peccata pontificis uncti, secundum Philonem (de victim. 10) peccata *τοῦ πρὸς ἀλήθειαν ἀρχιερέως καὶ μὴ ψευδωνύμου* in populum totum redundant et piaculo isto sumptibus pontificis parando indigent. Itaque secundum Mishnam pontifex maximus, sive unctus is erat, sive non unctus, die expiationis juvencum pro suis domusque suae peccatis expiandis parabat suis sumptibus: utrum autem per ultima duo templi secundi saecula juvencus iste post hircum populi mactatus sit, et pontifex maximus sanguinem victimarum harum in Sancto tantum sparserit, nec ne, de ea re Mishna ne unum quidem verbum habet.

4. Quae ex fontibus satis antiquis ad *τὴν δευτέρωσιν* Asamonaeorum pertinentia proposuimus, Mishna nostra eorum alia habet eadem, alia commemorans reprobat, alia denique silentio opprimere intendit. Et vaccae quidem stante templo secundum praeceptum traditionale die expiationis ubique combustae memoria in Mishna omissa esse videtur, ne qui post templum eversum eo ritu abuterentur pro sacrificio; juvenci autem et hirci eo die offerendorum ritum Mishna describit non eum, qui per duo ultima templi secundi saecula observabatur, sed quem antiquitus pontificum unctorum proprium fuisse ex sincera legis interpretatione apparet. In templo enim eo, quod desiderantes exstructum iri sperabant (Tamid 7, 3), utique nonnisi legitimos eosque unctos pontifices maximos fore existimabant, quorum scilicet in usum futurum tractatus Joma est.

Haec sunt, commilitones humanissimi, quae de pontificibus maximis Judaeorum per ultimos plus ducentos templi secundi annos expiationis die in Sanctum Sanctorum non intrantibus communicare Vobiscum voluimus. Videtis, quam non paucae et quam satis firmae rationes ad thesim hanc proponendam propugnandamque nos commoverint. Valete!

Dabamus Brunsbergae in Lyceo Hosiano mense Augusto anni MDCCCLX.

LECTIONES.

A. ORDINIS THEOLOGORUM.

Dr. Mich. Jos. Krüger, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Jeremiam prophetam interpretabitur die Lunae, Mercurii et Veneris hor. IX—X.
II. Epistolas catholicas explicabit die Martis et Jovis hora IX—X.
III. Antiquitates sacras Hebraeorum docebit bis per hebdomadem.
IV. Historiam Israelitarum enarrabit bis per hebdomadem.

Dr. Andr. Menzel, P. P. O.

I. Introductionem in studium theologicum tradet diebus Lunae et Jovis hor. II—III.
II. Apologetices partem priorem tractabit diebus Veneris et Saturni hor. X—XI.
III. De deo uno et trino disseret diebus Lunae, Martis, Mercurii et Jovis hor. X—XI.

Dr. Andr. Thiel, P. P. O.

I. Historiam ecclesiasticam inde a tempore sancti Bonifacii enarrabit ter per hebdomadem.
II. Jus canonicum tradet quinquies per hebdomadem hora XI—XII.

Lic. Ant. Pohlmann, P. P. E. Des.

I. Ethicam christianam docebit ter per hebdomadem.
II. Introductionem in scripturam sacram dabit ter per hebdomadem.
III. Capita selecta librorum historicorum V. T. explicabit ter per hebdomadem.
IV. Exercitationibus syriacis privatissime et gratis praeerit semel aut bis per hebdomadem.

B. ORDINIS PHILOSOPHORUM.

Dr. Franc. Beckmann, P. P. O. h. t. Decanus.

I. Aeschyli Septem adversus Thebas interpretabitur aut Sophoclis Antigonam ter per hebdomadem h. IX—X.
II. Horatii ad Pisones epistolam explicabit aut Tertulliani Apologeticum bis per hebdomadem horis definiendis.
III. De rebus mythologicis disseret bis per hebdomadem hor. IX—X.
IV. Exercitationes philologicas instituet semel per hebdomadem hora definienda.

Dr. Laur. Feldt, P. P. O.

I. Introductionem in analysin infinitorum tradet et exercitationes geometricas moderabitur diebus Lunae et Jovis hor. XI—XII.

II. Physicen experimentalem docebit et Conversatorium de rebus physicis instituet diebus Martis et Veneris hor. XI—XII.

III. Astronomiam populariter exponet diebus Lunae et Jovis hor. II—III.

IV. Calculum differentialem et integralem simul cum applicationibus docebit diebus Martis et Veneris hor. II—III.

Dr. Joan. Watterich, P. P. E.

I. Imperatorum Stauficorum historiam enarrabit quater per hebdomadem hor. V pomeridiana.

II. Francorum primordia explicabit horis definiendis.

Professor philosophiae.

Lectiones indicabit, quum advenerit.

Publica doctrinae subsidia.

Bibliotheca Lycei, cui praeest **Prof. Dr. Feldt,** diebus Lunae, Martis, Jovis et Veneris h. XI—XII commilitonibus patebit.

Apparatus physicus et instrumenta mathematico-astronomica quum ad lectiones adhibebuntur, tum aditus suo loco petentibus lubenter dabitur.

Stipendium Scheill-Busseanum.

Qui commilito **de veteris ecclesiae erga miseros charitate** libellum praemio dignum die I Julii anni MDCCCLXI Rectori tradiderit, XXV Imperiales reportabit.